

alias non esset conditio illa inclusa in absoluta concessionem privilegii. Illa vero difficultas infra tractanda est. Altera ergo ratio sit, declarando magis discrimen inter illa duo verba; nam clausula *usque ad beneplacitum* solum postulat perseverantiam in priori voluntate, et non aliquem novum actum ejus: unde fit ut illa perseverantia nihil aliud sit quam conditio requisita ad conservationem privilegii, ideoque, ablata perseverantia illa, cessat privilegium, quia erat quasi conditionatum, et ita dependens a conditione. Aufertur autem conditio, seu beneplacitum, per solam mortem concedentis, quia, licet perseverantia illa tantum sit moralis et interpretativa, ad illam requiritur duratio personæ et voluntatis ejus in tali statu, quia moralis hæc præsumptio seu duratio non extenditur ultra statum præsentis vitæ, præsertim quoad voluntatis dispositionem dependentem a potestate propria hujus vitæ. Quæ ponderatio nimis fortasse speculativa videri posset, nisi esset in jure expressa. At vero clausula *donec revocavero*, ad destructionem privilegii, vel expresse vel saltem tacite postulat revocationem ejus, et ideo quamdiu illa non fit, privilegium permanet. Unde quia per mortem solam non fit revocatio, ideo non ponitur conditio necessaria ad conservationem privilegii juxta verba concedentis, et ideo ex vi talis formæ non cessat privilegium per mortem concedentis, imo per illam quodammodo magis firmatur ex hac parte quatenus jam illa conditio impossibilis facta est.

8. *Ad tertium.* — Ad tertium, negatur consequentia et similitudo rationis. Quamvis enim etiam in exprimenda persona concedentis soleat observari illa duplex forma, scilicet, vel nomine tantum dignitatis, vel etiam proprio nomine personæ, et in aliis potestatibus delegandis, seu in rescriptis justitiæ contentiosæ, inde nascatur aliqua diversitas, ut videre licet in Panorm. et aliis expositivis, in c. *Relatum*, et c. *Licet undique*, et c. *Quoniam Abbas*, de Offic. deleg.; Felin., in c. *Pastoralis*, § *Quoniam*, de Rescr., num. 3, fallen. 3; Cov. in Pract., cap. 11; et Sanc., dicta disp. 28, n. 44; nihilominus quoad privilegiorum durationem, nulla inde oritur diversitas: nam sive in privilegio dicat Papa: *Sedes Apostolica tibi hoc concedit*, sive dicat: *Ego concedo*, vel *Paulus*, verbi gratia, hoc tibi concedit, non extinguetur privilegium per mortem concedentis. Quod est clarissimum ex usu, et ex juribus citatis, et ex om-

nibus dictis; et ratio est, quia illa verba, variata solum ex parte personæ, non limitant formam concessionis ex parte durationis, sed absolutam illam relinquunt; et ideo illa non obstant, quominus procedat regula posita, quod privilegium absolute concessum non expirat per mortem concedentis. Hoc enim verum est, sive concedatur a dignitate (ut sic dicam) seu a sede, sive concedatur a persona. Imo pro sola concessionem quæ fit a persona, posita est illa regula; nam pro illa quæ fit a sede non erat necessaria, imo nec congruenter possibilis, cum sedes non moriatur. Secus autem est quando clausula illa additur ad modificandam concessionem ex parte durationis ejus. Cum enim Papa etiam in propria persona concedens possit privilegium concedere dependens vel independens in sua duratione a vita concedentis, ex eo solum quod ex parte concedentis exprimitur persona, non limitatur privilegium ad concessionem cum dependentia a vita concedentis, sed indefinita manet, et ideo sequitur favorem gratiæ, et independentem concessa censetur; quando vero additur declaratio ex parte durationis, jam limitatur forma, et ideo fit dependens privilegium a vita concedentis.

9. *Sententia Navarri.* — Ab hæc vero doctrina videtur discrepare Navar. in Summa, cap. 27, n. 264, in editione hispana, ubi loquens de præsentatione religiosorum facta Episcopo ad confessiones audiendas, et de approbatione ejus, seu licentia ad confessiones audiendas, dicit durare illam licentiam post mortem concedentis, si data sit nomine dignitatis episcopalis, non vero si nomine personæ sit concessa; et citat Card. in Clem. *Dudum*, § *Et si idem*, de Sepult., quæst. 1. Verumtamen Navarr. non videtur considerasse illam licentiam ut gratiam, vel privilegium, sed ut potestatem delegatam, quæ cessare solet per mortem delegantis, re integra, nisi sit nomine dignitatis facta delegatio. Sed illa consideratio, ut dixi, non habet locum in præsentem, nec recte applicatur ad dictam licentiam. Quod postea videtur Navarr. considerasse, et ideo illa verba in latina editione omisit. Ratio vero est, quia si sit sermo de licentia, quæ nunc est necessaria ex decreto Concilii, quæ solum est approbatio personæ, hæc sine dubio perseverat post mortem approbantis, quia non est delegatio formaliter loquendo, imo nec privilegium, sed est quasi justa sententia, seu declaratio sufficientiæ personæ. Unde vix est

revocabilis, nisi ex magna causa. Si vero sit sermo de licentia, prout dicitur de facultate et jurisdictione concessa ad audiendas confessiones, de qua Navarr. loquitur, si detur indefinite ad quoscumque subditos concedentis, sine dubio est favor personæ cui datur, verumque privilegium, et ita verius est non cessare per mortem concedentis, etiamsi in propria persona illam dederit. Quia licet illud privilegium contineat delegationem jurisdictionis, non tamen fori contentiosi, sed pœnitentialis, ad quod non extenditur regula illa de potestate delegata, ut supra dixi. Supponimus autem in hoc, regulam datam de privilegio, quod non expiret per mortem concedentis, non limitari ad solum Papam, vel supremum principem, sed in Episcopis etiam, et in quibuscumque aliis, locum habere quoad ea privilegia quæ ipsi possunt in perpetuum concedere. Quod verissimum censeo, nam licet jura clarius loquantur de rescriptis pontificiis, tamen id est gratia materiæ; ratio vero eadem est, et cum jura non aliter interpretentur concessionem inferiorum, nec innitantur in illa declaratione in speciali potestate Pontificis, sed in ipsa ratione gratiæ et favoris, non est cur illa decisio juris ad sola privilegia pontificia limitetur.

10. *Duplex dubium.* — *Primus sensus questionis.* — Solum superest advertendum, interdum occurrere posse ut in forma privilegii utraque determinatio adjungatur, et temporis, et beneplaciti concedentis in propria persona, et tunc dubitari posse an privilegium expiret per mortem concedentis, intra illud tempus designatum; ut, verbi gratia, si Papa concedat privilegium unius anni, vel pro uno anno ad beneplacitum suum, dubium est an si Papa intra annum moriatur, cesset privilegium; unde etiam est dubium an elapso anno, privilegium extinguatur, etiamsi Papa vivat, vel duret quoad vixerit, vel usquequo ab illo revocetur. Prius dubium attigit Ant. Gab., ubi supra, num. 33, et dicit non extinguatur, etiamsi Papa moriatur, donec annus seu tempus præfixum finiatur; sequitur Sanc., supra, n. 51, et Henr., l. 7 de Indulg., c. 21, n. 4, quia sensus concessionis est: Concedo ad annum, et ulterius, secundum meam voluntatem: ex qua interpretatione sequitur responsio ad secundam dubitationem, nimirum in eo casu non extinguatur privilegium, lapso anno, et non mortuo concedente, donec illud revocet. Patet, quia sensus concessionis fuit ut daretur per annum, et deinceps dum dura-

ret voluntas: ita ut prior duratio esset quasi absoluta, et independens a vita concedentis, non tamen esset præcise definita ad illud tempus, sed continuari posset alio modo, scilicet, cum dependentia a vita et beneplacito concedentis.

11. *Secundus sensus.* — Quod si petatur ratio hujus interpretationis, non redditur a dictis auctoribus, cum tamen sensus illorum verborum multiplex esse possit, et ideo interpretatio illa non videatur necessaria, quia optimus sensus esse potest: Concedo per annum, et in illo ac intra illum ad beneplacitum meum. Et licet prior sensus magis favorabilis sit, quæ forte ratio movit dictos auctores, posterior videtur simplicior, et magis intentus ex vi verborum: nam illa additio, *Ad beneplacitum meum*, facta in concessionem absoluta, non fit natura sua ad augendum, sed ad restringendum, ut patet ex dictis; ergo etiam addita post concessionem ad annum, additur ad restringendam cum proportionem concessionem illius anni, ut sit dependens a vita concedentis. Nec refert quod, verbis mutatis, dicatur: Concedo tibi licentiam ad beneplacitum ad annum; nam licet materialis ordo verborum sit diversus, sensus est idem, scilicet, licentiam ad beneplacitum tantum ad annum concedi: licentia ergo semper est annua tantum, et intra illum limitata ad beneplacitum.

12. *Primus sensus non facile dissolvit secundum dubium.* — *Sensus primus est favorabilis, secundus autem magis intentus.* — Unde circa secundam dubitationem difficile creditur est, illam concessionem durare transacto anno, cum simpliciter annua tantum sit, et additio *Ad beneplacitum* videatur restringere, non augere. Et confirmatur; nam si concedens dicat, *ad annum nisi revocavero*, certe, finito anno, extinguitur facultas, etiamsi non revocetur, quia, secundum communem sensum, illa additio, *Si non revocavero*, non auget, sed limitat vel declarat concessionem annuam, ut nihilominus intra annum possit revocari, idemque erit si dicatur, ad annum donec revocavero; quamvis enim inusitatus sit talis loquendi modus, tamen si usurpetur, idem erit sensus, et eadem intentio loquentis. Alioqui censeretur concedere irrevocabiliter per annum, et postea perpetuo donec revocetur, quod certe verisimile non est. Ergo idem cum proportionem videtur dicendum de illo complexo, *Ad annum, secundum beneplacitum*, tum quia magis restrictiva est hæc particula,

ad beneplacitum, quam illa, donec revocavero; tum etiam quia magis ampla esset concessio illa complexa, ad annum secundum beneplacitum, quam simplex, ad beneplacitum, quod non videtur verisimile. Denique, juxta priorem expositionem, sensus est quasi divisivus et copulativus, scilicet: Concedo ad annum, et ad beneplacitum; quem ego libenter admitterem, quando dictio copulativa in concessione poneretur modo prædicto. At vero quando non ponitur, non est supplenda, quia jam est sensus voluntarius et improprius. Nam concessio est simplex, et per categoricam propositionem de prædicato complexo, ex duplici additione se invicem determinante, scilicet, annum ad beneplacitum, seu beneplacitum ad annum, et hoc secundo modo est limitata concessio annualis, ut explicatum est. Atque hic sensus in rigore verborum videtur mihi magis intentus, licet fortasse superior ut favorabilior frequentius sit acceptandus.

13. *Notandum circa primam sententiam Henr.*—Advertendum tamen est illam sententiam probabiliorem videri, si verba concessionis sint: Do licentiam ex beneplacito ad annum, de qua forma loquitur Henr. supra, quia ibi beneplacitum non ponitur ex parte termini, nec ut limitatio durationis annuæ, sed tantum ut principium gratiæ, et concessionis simpliciter factæ per annum. Et in hoc sensu verissimum censeo non cessare gratiam intra annum per mortem concedentis, quia pro illo anno simpliciter est facta ex beneplacito. Consequenter tamen in eodem sensu dicendum est illam gratiam non durare post annum, etiam vivente concedente, quia præcise ad annum illam concessit, nec beneplacitum ejus ad majus tempus fuit extensum, nec per solam vitæ durationem extenditur, ut per se notum est.

CAPUT XXXIII.

DE AMISSIONE PRIVILEGII PER RENUNTIATIONEM EXPRESSAM.

1. *De renuntiatione.*—Primo supponendum. —Privilegium quod momentaneum habet effectum renuntiabile non est.—Exemplum in irregularitate.—Item in voto.—Item in impedimento matrimonii.—Per se loquendo, privilegium proprie sumptum renuntiabile est.—Declaratis modis quibus privilegium ex se et quasi ab intrinseco finitur, sequitur dicendum de ablatione illius per actionem aliquam

contrariam quæ potest esse vel ipsius proprii privilegiarii, vel alterius. Una ergo actio privilegiarii sufficiens ad tollendum ab ipso privilegium censetur esse renuntiatio, de qua in præsentī capite dicendum est. Et imprimis suppono privilegium habens permanentem durationem cum tractu successivo in ordine ad futuras actiones, vel receptiones, aut omissionem illarum, renuntiabile esse ab ipso privilegiario, per se loquendo. Loquor de privilegio permanente per modum potentiæ, seu actus primi, ut excludam privilegium quod momentaneum habet effectum, et solum datur per modum dispensationis tollentis aliquid vinculum, vel impedimentum; illud enim postquam semel est concessum, renuntiabile non est, quia semel factum infectum esse non potest, seu quod ablatum est redire non potest, præcipue per privatam hominis voluntatem. Sic privilegium tollens irregularitatem renuntiari non potest, quia non potest homo illam priorem irregularitatem in se iterum facere. Sic etiam qui dispensationem voti obtinuit, et semel accepit, non potest amplius illi renuntiare, quia non potest priorem obligationem reparare, licet possit novum votum de novo facere. Ita etiam qui est dispensatus in impedimento consanguinitatis, non potest illi proprie renuntiare. Poterit quidem ille non contrahere matrimonium, qui est veluti usus illius dispensationis, licet remotus, et tanquam a causa per accidens, scilicet, removens prohibens; non tamen potest ita renuntiare dispensationi, ut reddat se inhabilem ad tale matrimonium, quia hoc non est in voluntate ejus, sed pendet ex voluntate Prælati, qui potest quidem simile impedimentum iterum imponere, revocando dispensationem; tamen, speculative loquendo, censebitur idem in specie, non numero, cum eo quod per dispensationem ablatum fuit: non ergo tractamus de dispensatione, sed de privilegio proprie sumpto, et de illo dicimus, de se ac per se loquendo, renuntiabile esse ab ipso privilegiario. Hoc enim omnia jura supponunt, ut patet ex c. *Si de terra*, et c. *Accedentibus*, de Priv., c. *Ad Apostolicam*, de Regul., l. *Si quis in conscribendo*, c. de Pactis, quibus locis Glossæ et doctores alia jura referunt.

2. *Explicatur assertio.*—Ex duplici causa privilegium fit irrenuntiabile.—Privilegium clericale cur non possit ab aliqua persona particulari renuntiare.—Aliud exemplum.—Dico autem per se loquendo, quia hoc postulat

natura privilegii, si ad ipsum privilegiarium proprium et quasi adæquatum comparatur: nam respectu illius beneficium privilegii non est coactum, nec confertur invito, ideoque ab eodem renuntiare potest, si velit. Contingit autem privilegium non posse renuntiare ab aliquo qui illo gaudet, quia vel non est proprium subjectum cui datum est privilegium, et propter quod est datum, vel quia non pendet adæquate ex voluntate ejus. Priori modo non potest renuntiare a particularibus personis privilegium principaliter concessum in gratiam communitatis, ut est privilegium cleri, tam fori quam canonis, ut supra visum est, et in sequentibus dicitur. Posteriori autem modo non potest aliquis renuntiare privilegio sibi concesso, quod continet etiam jus alterius, cui per talem renuntiationem præjudicaretur. Et sic Prælati non potest renuntiare libertati Ecclesiæ ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinentis, c. *Cum tempore*, de Arbit.; seclusis vero his casibus privilegium renuntiabile est, et de hac renuntiatione nunc tractamus.

3. *Secundo supponendum.*—Renuntiatione propria et impropria.—Secundo, suppono duplicem posse distingui renuntiationem privilegii, unam impropria, aliam propria. Prior consistit in puro non usu actuali privilegii, ut, cum quis, habens sufficientem excusationem ad non jejunandum, nihilominus jejunat, dici potest renuntiare privilegio suo. Proprie autem renuntiare privilegio, non tantum est non uti illo, etiam voluntarie, sed est tollere a se jus et potestatem utendi: sunt enim hæc duo valde diversa; nam per solam negationem usus non tollitur potestas, sed tantum non exercetur actus, ut si quis habeat privilegium loquendi cum excommunicato, et nolit loqui, etiamsi possit, non se privat potestate, sed actu tantum. Privilegium autem, de quo tractamus, in potestate consistit, ut explicatum est, et ideo ille non usus, etiam voluntarius, per se et intrinsece non est proprie renuntiatione privilegii; an vero sit signum illius, infra dicemus. Renuntiatione ergo privilegii propria est voluntaria abdicatio et refutatio illius juris et potestatis quam privilegium concedebat, ex qua ablatione consequitur ut non possit quis amplius uti tali privilegio; quia nemo potest uti re quæ jam non est: unde a fortiori fit ut non possit quis amplius licite uti tali privilegio, quia nemo potest licite cum deceptione et nullitate aliquem actum exercere: talis autem

esset usus privilegii jam non existentis. Item si privilegium concedebat usum qui sine privilegio non licebat, jam ille usus non potest magis licere quam antea: unde tandem fit, ut ex tali renuntiatione oriatur obligatio non utendi amplius tali privilegio, quia eo ipso quod res fit illicita, oritur obligatio vitandi illam. Atque ita qui renuntiat privilegio in favorem alterius, eo ipso obligatur illi ad non usum talis privilegii, seu (quod idem est) dat alteri jus contra usum privilegii, et consequenter obligatur ipse ad non usum privilegii; tum quia tenetur servare jus alteri semel datum, tum etiam quia tenetur non uti jure jam per renuntiationem amisso.

4. *De propria renuntiatione.*—In præsentī ergo de propria renuntiatione privilegii tractamus, quæ potestatem ipsam et jus auferat: et ideo de altera renuntiatione impropria, breviter dico per se licitam esse, consistereque formaliter in voluntario non usu. Dico autem voluntario, quia si voluntas desit, non erit renuntiatione, etiam ipsius usus, sed erit necessitas quædam, vel coactio, aut impotentia, ut paulo inferius explicabo. Hæc autem renuntiatione per se licita et libera esse dicitur, quia privilegium quoad ipsum privilegiarium est quasi lex permittens seu dans facultatem, non vero obligans ad usum illius, et ita liberum unicuique est illo non uti, argumento cap. *Cum nobis*, de Electionib., præter alia sæpe allegata. Quod intelligendum est, ut dixi, per se, id est, nisi aliunde a superiore, vel a lege positiva vel naturali, cogatur quis ad usum privilegii, ut in multis casibus specialibus in jure providetur, quos magna ex parte notat Glossa in leg. *Si quis in conscribendo*, c. de Pactis, et alii doctores. Maxime vero hoc contingit quando privilegium est juris publici, et non tantum privati, juxta dicta supra cap. 6; extra hos vero casus regulariter licitum est unicuique non uti suo privilegio, quod est quasi renuntiare actuali usui ejus. Dices: ergo qui habet privilegium audiendi Missam tempore interdicti, potest libere renuntiare usui ejus in die festo, et licite non audire Missam. Respondeo: quantum est ex vi privilegii, libere quidem posset illam non audire, tamen quia in die festo aliud præceptum obligat, non potest tunc licite Missam omittere. Est enim considerandum, privilegium illud non tam dare facultatem quam tollere prohibitionem et impedimentum, et ideo licet quis possit mere negative non uti privilegio quoad effectum, quia